

dictorum bonorum est primo ad vertendum ius commune volens, quod eciam heredes administratoris tenentur, quando administrator lata culpa aliquid gessit in alienacionibus obligacionibus etc. et ius commune, quod vult sollempnitates in alienacionibus et obligacionibus etc. et quod vult preter necessitates et utilitates non fieri obligaciones et alienaciones prout est notorium in iure et quod in multis obligacionibus et alienacionibus et aliis, quibus interfui et consensi, multa continentur in registris capituli, de quibus grave michi esset et de sollempnitatibus et de necessitatibus et utilitatibus respondere coram deo, unde pro hiis et aliis in casu quo teneor est facta primo obligacio bonorum patrimonialium in vita Jacobi tempore, quo intendebat contrahere matrimonium, de qua obligacione est premissum, ac secundo post mortem suam declaracio facta coram duobus consulibus et tercio translacio facta per me et Fredericum bone memorie modis expressis, et quarto post mortem Frederici ratificacio facta per me et alia translacio casu quo prima non teneret et de necessitate salutis essem astrictus ac propter hoc est tradita hec informacio facti concernentis translacionem, que saltem aliquo casu utilis esse potest in futurum et quia obligaciones et alienaciones moverunt me ad translacionem et alia subscripta, ideo de obligacionibus alienacionibusque quibusdam, quibus interfui, de quorum sollempnitatibus et ecclesie necessitatibus et utilitatibus est difficile coram deo respondere, et de bonis patrimonialibus timetur de iuris rigore satisfaciendum informacionem facti aliqualem conscribi ordinavi, articulos tamen ipsas obligaciones et alienaciones concernentes ab huiusmodi informacione separando.

In testimonium, quod predicta sunt de consciencia mea conscripta, sigillum meum presentibus inpensum. Datum Hildensem in curia quam inhabitamus anno domini millesimo trecentesimo octogesimo secundo in vigilia assumptionis Marie virginis gloriose presentibus dominis Nicolao dicto Wise, regulari monasterii in